

DE CIVITATE ALEXANDRIÆ

*Ab anno suæ foundationis MCLXVIII.
& successive usque ad annum MDLXXXVI.
Chronologica descriptio.*

Anno MCLXVIII. Superiori libro a nobis breviter explicata fuit novæ urbis origo, a quibus populis condita, auctaque fuerit, & simul de illorum antiquitate tractatum est. Nunc condita urbe progressus ejusdem, quantum per antiquitatem licebit, & scripturarum penuriam demonstrabimus.

Designata urbe aratro, statim octo populi incolas ad inhabitandum miserunt, qui quotidie res ad ædificandum necessarias subministrabant; ita ut brevi tempore opus ipsum in veræ urbis specimen redigeretur. Sunt qui asserant intra annum, quo ædificari cœpta est, eandem vallo, fossa, & mœnibus circumdatam fuisse; quod ipsum & Sigonio placuit, & ante eum Merulæ nostro lib. 3., quamvis ipse hujus sententiæ non sit, cum & operis magnitudo, & rei difficultas id, ut asseramur, non permittat. Illud certissime constat incolas maxime ad opus perficiendum accelerasse, tum quia ad id necessitate quadam compellebantur, everfis suis habitationibus, tum etiam quia certi, crebrique nuntii quotidie afferebantur rem hanc summe displicuisse Federico Enobarbo Romanorum Imperatori, qui sæpe per nuntios, literasque a Gullielmo Marchione Montisferrati de hoc tanto ausu admonebatur. Graviter enim ferebat Marchio ædificationem novæ urbis, cernens se hac via omnino exclusum a promovendo imperio suo in Insulæ, & præsertim in debellando, & in servitute redigendo memoratos populos, quorum virtutem, & ferocitatem ex urbis ædificatione maxime adaugeri opinabatur; quare noctes, diesque dolor hic, & indignatio veluti aculeus eum stimulabat: quotidie non desistebat Federicum, Ticinenses, & reliquos ejus confœderatos admonere, & rem hanc verbis extollere. Federicum movebat recens cum Marchione juncta affinitas, movebat contemptus sui, quod judicaret rem hanc in maximum dedecus, & opprobrium Romani imperii redundare, ut subditi audeant, & urbes condere possint, quæ aliquando damna sibi allaturæ essent. Ticinenses videbant novam urbem esse tamquam claustra, quæ se cohiberent, quo ulterius progredi nequissent. Hæ considerationes Marchionis querelas juvabant, qui id judicabat minime ferendum, sed statim communibus armis, initiis audacibus esse occurrendum, & jure fœderis, atque amicitiae instabant urbem esse delendam. Proponebat etiam periculum, quod Imperio & Ticinensibus immineret ex opportunitate tanta, & tam populosæ, atque bellacis Civitatis, ut nihil aliud sit certius: id accidere opportunissime Mediolanensibus, qui habituri sint urbem hanc amicam, unde patriam suam instaurare, quod illis ab Imperatore fuerat paullo ante interdictum; habituri, unde se alere, unde opportuna, & parata auxilia expectare possint. Igitur Federicus caussis his universis permotus, & ut erat

iracundus, statim per literas novæ urbis cives corripuit, imperans ut ab opere desistant, neve ultra ædificationem promoveant. Sed omnino suum adventum expectarent, mirarique se eos in tantam audaciam pervenisse; ut novam urbem injussu suo ædificare præsumerent: sed pœnas aliquando hujus temeritatis laturos, atque interim per nuntios Gullielmu ad monebat, quid fieri vellet, pararetque copias quam maximas, & comeatus quantos posset, quandoquidem vellet se urbem novam funditus primo quoque tempore delere, & istius voluntatis suæ ceteros confœderatos, qui de imperio Romano bene sentirent, admoneret, copias pararent, urbes munitent, & reliqua facerent, quæ ad maximum bellum pertinerent. Interim novi incolæ ab Imperatore increpiti, & periculo, quod animo prævidebant admoniti, non animum ob id despondebant, sed altiores facti diu, noctuque mœnia ædificabant, ac vallo quantum fieri poterat, munibant, ita ut senes ipsi, pueri, ac mulieres ad operis perfectionem incumberent, & quia opus erat tum longi temporis, tum maximarum impensarum, mutuo a Januensibus acceperunt aureos mille eodem, quo Civitatem ædificare cœperunt, anno, quod ad stipulatur scriptor Januensis historiæ (1).

(1) An. MCLXVIII. Interea consules novæ civitatis, qui Civitatem construxerant, & Alexandriam nuncupabant eo utique quod D. Apostolicus Alexander nominabatur Januam venientes exposuerunt se bonos, & veros amicos Januensibus de cetero esse rogantes illos, quod auxilium in ædificanda urbe præstarent. Quorum precibus exauditis eis solidos mille dederunt; reliquos autem mille accepturi ab intrantibus consulibus expectarent. Caffari R. I. Scr. T. VI.

MCLXIX. Alexandrini fœdus cum Astensibus percusserunt, quod deinde male observatum fuit (1). Eodem anno Cæsarienses (ita ab initio appellabantur Alexandrini, Cæsareaque ab illis dicta fuit nova Civitas, & id, ut quidam veteres scriptores affirmant, factum fuit in obsequium Federici Enobarbi, cujus ferocem animum cives isti magis, magisque irritare nolentes, mulcere tentabant) Legatis transmissis Ruffino Blanco, & Blasio Berafca ipsius Civitatis Consulibus jusserunt, uti coram Pontifice maximo Christianam fidem profiterentur, & Deo optimo maximo, ac summo Pontifici, cæterisque omnibus ejus Catholicis successoribus solum sancti Petri ad extruendam in eo Ecclesiam offerrent, & insuper largitionem annuam ternorum denariorum ab iis, qui magis possent, & singuli denarii ab iis, qui minus divites essent intra octavam Beati Martini persolverent perpetuam, ac stabilem Romano Pontifici, & successoribus promittentes fidem juraverunt, idque ad præsentiam illustr. Cardinalium Bernardi Portuensis Episcopi, Ualdi tituli sanctæ Crucis, Joannis, & Pauli Al. de Quindi tituli sanctæ Anastasiæ, Alberti tituli sancti Laurentii in Lucina, Gullielmi tituli sancti Petri ad vincula, Bosii tituli sanctæ Potentianæ, Petri tituli sancti Petri in Damaso, Joannis tituli sancti Marci, Teodovini tituli sancti Vitalis Presbiterorum Cardinalium, Jacilavii tituli sanctæ Mariæ transtiberim, Cintii tituli